



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Originvm Monasticarvm Libri IV.

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1620

Cap. VIII. Ordo S. Trinitatis de Redemptione Captiuorum, per Ioannem
Matham institutus an. 1197.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11249

Ceterum grauis est quæstio apud Scriptores, an ordo Guilielmitarum sub regula S. Augustini, an S. Benedicti militet. Sampson Haius Guilielmita Parisiensis in suo libro de veritate vitæ & ordinis S. Guilielmi, Parisijs anno 1188. edito contra Volaterranum Iac. Bergomensis, Onuphrium, Iosephum Pamphilum, & alios, multis probat Guilielmitas regulam Benedictinam sequi, & ideo iuxta eius præscriptum in nocturnis horis duodecim lectiones festis diebus hodieque recitare; cum Eremitæ Augustiniani, qui eos ad suam regulam trahere conantur, non nisi nouem lectiones recitent. Vt ut sit, hoc constat, multa olim Guilielmitarum monasteria Eremitis Augustinianis accessisse. De his vide plura infra lib. 2. de Ordinibus Benedictinis.

CAPVT VIII.

Ordo S. Trinitatis de Redemptione Captiuorum, per Ioannem Matham institutus, an. 1197.

Ordinem istum instituit *Ioannes Matha* apud Gallos in Prouincia natus, Doctor Theologus Parisiensis anno Christi 1197. vt in eius Epitaphio legitur Romæ in basilica S. Thomæ de Formis, in monte Coelio; Anno *Dominicæ Incarnationis M.C. XCVII. Pontificatus*

B

verè

verò Innocentiū III. anno primo, institutus est ordo sanctissimæ Trinitatis à fratre Ioanne, &c.

Alij dicunt hunc ordinem inchoatum an. 1196. in monasterio *Cerui Frigidi* in Gallia, vt patet ex hisce versiculis, quos Choppinus li. i. *Monasticorum*, tit. vltimo, art. 12. recitat.

*Milleno ducenteno quarto quoq³ dempto,
In Ceruo Gelido Triadis fit primitus Ordo.*

Ceterum primum huius ordinis monasterium Romæ ab Innocentio III. Papa exstructum est, & S. Thomæ de Formis nuncupatum. Totius Ordinis Præfectus seu Minister generalis sedem ac domiciliū summū habere solet in monasterio *Cerui Frigidi* apud urbem *Meldensem* in Gallia: quo in loco etiam Capitulum quotannis generale celebrari olim consuevit. Floret ordo iste maximè in Hispania, Gallia & Belgio, vocantque Præfectos suorum monasteriorum Ministros. Hodie Minister seu Præfectus Generalis plerumque residet *Parisijs* apud *Maturinos*.

Primam huius instituti originem ex *Roberti Gaguini Annalibus Galliæ*, alijsq; monumentis fusè describit *Iacobus Burgesius Prouincialis per Belgium Minister*, in statutis ordinis S. Trinitatis *Duaci* an. 1586. excusis.

AEtate *Innocentijs III. Romani Pontificis*, pietatis feraci, ordo sanctissimæ Trinitatis de *Redèptione captiuorū* initiū cepit, auctoribus *Ioāne de Matha* ex Prouincia oriundo, & *Felice Anachoreta Valesiensi*. Hic *Ioannes D. Theol. Parisiensis*, tædio vitæ sæcularis affe-

ctus, odio mundū habuit: vnde initiatus sacer
 dotio meruit cōsolationē accipere diuinitus,
 dū se Angelus veste cādida indutus, & cruce
 bicolori insignitus videndū præbuit. Eā autē
 visionē boni ominis nunciā interpretatus, fe-
 cescit ad eremum: vbi *Felix* vitā solitariā age-
 bat, in loco qui *Ceru^o Frigidus* dicitur, eò quòd
 ad collis radicē fons scaturiat limpidissimus,
 ad quē ex finitima silua solit' erat venire cer-
 uus candidissimus refrigerandi se causa: vnde
 & locus dictus est *Ceruus Frigidus*. In eo loco
 per triennium egit cum Felice Ioannes, pari &
 cōsentiēte in bonū animo. Interim diffunde-
 batur suavis odor nominis eorū, & ad se veni-
 entib. salutis pabula verbo & opere ministra-
 bant. Sed in ea viuētes libertate absq; definita
 regula, & legitimis institutis, timētes errorem
 posse cōtingere, dū cōcupiscētię nō resistitur,
 dū sibi quitq; lex est, ter in sōnis à cęlesti nū-
 cio admonētur, vt Rom. adirēt Pontificē, ac-
 cepturi certā vitę regularis normā. Pergūt i-
 gitur per durā hiemē feruētes charitate sancti
 viri, ad Sūmmū Pontif. Innocēt. huius nomi-
 nis III. omniū religionis monasticæ amantiū
 dulce asylū: quē cū cōuenissēt, simili eū reue-
 latiōe honoratū cognouerūt. Quāobré beni-
 gnissimè ab eo excepti sūt hospitio, ad V. vsq;
 Kal. Febr. cū dies festus Agnetis secūdò agitur.
 Tū Pōtifex rē diuinā faciens, dum S. Eucharis-
 tiam circumstantibus ostendit, Angelum
 Dei videt multo candore fulgentem

cancellatis manibus duos captiuos tenentem, Christianum vnum, alterum Maurum, tamquam eos commutaret. Huic Angelo crux rubri, & azurei, seu cærulei coloris ad pectus eminebat. Quo viso, & re diuina confecta, anachoretas ad se vocans; *Iam, inquit, filioli, aduerto Dei spiritu vos duci: dabo vobis indumenta exemplo visionis, quæ mihi diuina celebranti innotuit, respondentia, & eritis primitiæ Pontificatus nostri, quos diuina bonitas vult noui & sacri ordinis esse auctores.* Confutis igitur tunicis, Ioannem & Felicem candidis vestibus decorauit, superaddita cruce, qualem Angelus ostendisset: additque nouo ordini titulum *de Trinitate & Redemptione captiuorum*, declarans primò in vestimentis eorum tres reperiri colores; album, qui Patrem Deum repræsentat, qui principium est sine principio, vt albedo extremus est color, nulli alieno colori permixtus; & secundum, qui azurius seu cæruleus est color, denigrationem & obfuscationem referens, Christum significat, cuius caro cruciatu & dolore fuit contusa & denigrata. Tertium verò colorem rubeum, qui quidem ardorem significat, & Spiritum sanctum exprimit, qui ignis est, & flammam inspirat cordibus credentium. Admonuit eos præterea his verbis: *Candor, ô filioli, conscientie puritatem atq; munditiam, qua fulgere vos decet, exprimit; crux verò qua parte rubea est, feruorem charitatis in Deum signat; altera autem, qua contusa & carni similis*

malis

milis est, Christi passionis memoriam præ se fert:
 ut nostræ redemptionis ab inferis memores, perse-
 uerante metu Deū diligatis atque colatis. Quos ve-
 rò Angelus dextra sinistraque inuicem commutare
 videbatur, eos puto representationem facere libe-
 randorum captiuorum, quos Christum imitantes po-
 stea redempturi estis: ut pretio redemptionis dato,
 Christianos è Saracenorum manibus, ac seruitute
 eximatis, vel aduersæ legis hominē pro eo, qui Chri-
 stianæ fidei professor est, commutetis. Et quia festo
 die (v. diximus) B. Agnetis Martyris, quæ
 bona sua trifariam distribuerat, visio conti-
 gerat, voluit summus Pontifex fratres ordinis
 bona, quæ d. inceptis possiderent, in tres partes
 diuidere; ita ut vna esset ad fratres alendos,
 qui cultui diuino inferuirent; altera ad hospi-
 tio excipjendos Christi pauperes reponere-
 tur & tertia pars in redemptionem captiuo-
 rum detentorum ab infidelibus seruaretur.
 Atque idcirco monachos ordinis S. Trinita-
 tis de Redemptione captiuorum voluit appel-
 lari. Constructo autē nō longè à Laterano in
 monte Cœlio Romæ monasterio, & S. Trini-
 tati dicanda Ecclesia (in cuius porticu videtur
 adhuc vii onis supradictę simulacrum effigia-
 tum) iussit idem Pontifex, ut Ioannes Matha,
 (remiserat enim Felicem Anachoretam in Gal-
 lias ad dicti ordinis propagineſ dilatandas,
 pro nominis diuini gloria & humanæ sa-
 lutis augmento) ibidem Deo deseruiret cum
 fratribus assumptis. Eam ob rem concessit illi

sancto viro eiusque successoribus regularem vitam obseruantibus Ecclesiam *Sancti Thomæ & S. Michaelis de Formis*, sic dictam, quòd non longè à formis, id est, aquæ ductibus sita sit in monte Cœlio, cum possessionibus, & omnibus alijs eò pertinentibus, nec non Ecclesiam *S. Saluatoris* (vt habet confirmatio Honorij III. Pontificis Romani, adseruata in bibliotheca Vaticana) sitam in loco, qui dicitur mons Sanctus, ad castrum Verelatense, in diœcesi Spoletana, cum omnibus eò pertinentibus, & in diœcesi Tudertensi Ecclesiam *B. Mariæ de Lantano* cum omnibus eò pertinentibus; in diœcesi Anicliensi Ecclesiam *S. Trinitatis*, iuxta castrum Albani, cum omnibus eò pertinentibus; in Vrbe Ecclesiam *S. Isidori*, & totum montem maiorem post Absidiam; item plures alias possessiones, quas recenset dicta confirmatio Honorij Põtificis, qui, vt prædecessor eius Innocentius tertius, omnes dictas Ecclesias, & fratres inhabitantes eas, sub B. Petri, & sua protectione suscepit. In hoc autem monasterio cum sanctè & regulariter vixisset Ioannes Matha, primus maior Minister per sexdecim annos, mortuus est & sepultus, vt habet eius epitaphium insculptum marmoris sepulchri testudinati & exstructi in dextra parte minoris Ecclesiæ. Maior enim omninò discooperta est, & semidiruta in monte Cœlio. Ea autem sunt epitaphij

taphij verba: Anno Dominica Incarnationis 1197.
 Pōtificatus verò Domini Innocentiij Papæ tertij anno
 primo, xv. Cal. Ianuarij institutus est nutu Dei ordo
 sanctissimæ Trinitatis à fratre Ioanne, sub propria
 regula sibi ab Apostolica sede concessa. Sepultus est
 idē frater in hoc loco an. Domini 1213. Decemb. 21.

CAPVT IX.

*Catalogus monasteriorum & provin-
 ciarum ord. S. Trinitatis.*

Primum huius ordinis monasterium est
 Romæ constructum (S. Thomæ de Formis
 nuncupatū) per Innocentiū III. Papam.

PROVINCIA FRANCIAE.

In prouincia Franciæ sunt monasteria
 duodecim, videlicet

Monasteriū Cerui Frigidi, in diocesi Mel-
 denfi.

Parisiense, quod Maturinorum vulgò di-
 citur à S. Maturino, illius loci patrono; estq;
 fundatum à S. Ludouico Galliæ Rege.

Monasterium Meldense, vulgò *Meaux*.

Monasterium Fontis Bleaudi; Gallicè *Fon-
 tainebleau*, fuit fundatum an. 1259. per S. Ludo-
 uicum Galliæ Regem. Hoc in loco spectatur
 insigne palatium Regum Galliæ: quo tem-
 pore æstiuo solent diuerti.

Monasterium Claremontanum.

Monasterium de Verberia.

Monasterium de Stampis, inter Parisios &
 Aurelianum.

Monasterium de Cola.

B 4 Mona-